



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Contra eos, quo sententiam Excommunicationis damnabiliter vilipendunt.

37

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

cent. Alioqui ipsos Clericos seu Capellanos, qui ultra id cum dominis suis permanerint, & eis communicaverint, majori excommunicatione in his scriptis late sententiæ innodamus; & præcipimus, eos, per locorum Ordinarios, excommunicatos publice nunciari. In qua excommunicatione si per duos menses contumaciter perduraverint, & à dominis suis non recesserint, ex tunc ipso facto omnibus beneficiis Ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, quæ habent, sint privati; & eadem beneficia per illos, ad quorum collationem pertinent, aliis personis idoneis intra mensem conferantur; alioqui ex tunc per Superiorem proximum conferantur; & nihilominus sint inhabiles ad alia beneficia obtinenda.

XXXVII. *Contra eos, qui sententiam Excommunicationis damnabiliter vilipendunt.*

Cumque nonnulli sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendant; statuiimus, ut, quicumque, excommunicatus & in Parochia sua denunciatus, per annum in ipsa excommunicatione perstiterit, & de hoc fides facta fuerit per literas Excommunicatoris, (quas sufficere volumus in hac parte, si fuerit Ordinarius, & aliàs per aliam fidem sufficientem,) si huiusmodi fuerit Nobilis, vel alius, habens terram vel districtum, illa terra vel districtus per Ordinarium loci, super hoc requisitus ab excommunicatore vel Actore, ecclesiastico sine difficultate supponatur interdicto. Et, si fuerit alius quam Nobilis, dominus temporalis seu Iudex, in cuius districtu excommunicatus manserit, seu domicilium habuerit, moneatur per Ordinarium ipsius, ut compellat ipsum excommunicatum redire ad sanctæ matris Ecclesiæ unitatem. Alioqui idem dominus sive Iudex, per ipsum Ordinarium, excommunicationis sententiâ percellatur.

XXXVIII. *Contra computrescentes in Excommunicatione ultra annum, quomodo procedendum.*

Ipsi autem excommunicati, cum per annum in excommunicatione perstiterint, in Synodis accusentur, tanquam clavius Ecclesiæ contemptores, & satisfacere compellantur; adhibito etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

XXXIX. *Vt Prelati, & qualibet Ecclesiastica persona, ad observationem statutorum istorum fideliter teneantur.*

Quia vero omnibus, per Statuta huiusmodi, paterna sollicitudine intendimus providere, ut videlicet quies procuratur Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, & Pacis turbatores,

pœnæ formidine, cohibeantur à peccatis; præcipimus & mandamus sub pœna excommunicationis, ut statuta ipsa ab omnibus tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus personis inviolabiliter observentur: Statuentes, ut Capitulum, Prælati, Archidiaconi, Præpositi, Decani Capitulorum, & alia Capitula, & singuli de Capitulis, Decani Christianitatum, Rectores Ecclesiarum & Capellarum, nec non & Vicarii, & omnes Clerici Civitatis & Diocesis Coloniensis, ad observationem sententiarum prædictarum, scilicet excommunicationis, suspensionis, interdicti, & ad earum executionem, quancumque & quotiescunque opus fuerit, & aliquod forefactorum prædictorum committi contigerit in Civitate aut Diocesi Coloniensi, omni fraude & dolo penitus exclusis, fideliter teneantur. Si quis autem Prælati in his remissus fuerit, & ex parte Ecclesiæ vel personæ, injuriam vel damnum passæ, tertio requisitus, ad executionem præmissorum, prout in superioribus continetur, per se vel per alium procedere neglexerit, sententiam suspensionis, à Nobis latam in his scriptis, incurrat ipsa omissione: quam scilicet suspensionis sententiam si per octo dies in negligentia perdurando sustinuerit, ex tunc incurrat excommunicationis sententiam, à Nobis latam in his scriptis. Et nihilominus contra eum ad ulteriora per Nos, de consilio Capituli & Priorum Coloniensium, procedatur.

XL. *Contra Clericos, in executionibus sententiarum remissos, & sententias ipsas modo debito non servantes.*

Hæbdomadarii item in Ecclesiis Conventualibus, Plebani, Rectores seu Provifores Parochialium Ecclesiarum & Capellarum Civitatis & Diocesis Coloniensis, qui in suis Ecclesiis seu Capellis illos, qui ex aliquibus causis, de quibus supra dictum est, excommunicationem inciderint vel * juris vel hominis, & fuerint (ut præmissum est) excommunicati nunciandi, denunciare omiserint; ipsa omissione se sciant excommunicationis sententiam, in his scriptis à Nobis latam, incurrisse; & poterunt Depositionis periculum formidare, si Divinis se ingesserint, sic ligati: ita ut, nisi celeri satisfactione sibi prospexerint, monitione præmissa à suis Ordinariis, priventur beneficiis quæ habent, & illa aliis personis idoneis, per eos ad quorum spectant Collationem, conferantur.

XLI. *Contra eos, qui in loco interdicto celebraverint.*

Si quis autem Sacerdos in loco, propter captivitatem Clerici, vel propter spoliolum Ecclesiæ vel Ecclesiasticæ personæ, vel propter aliquam aliarum causarum prædictarum, inter-

* unio-
nem.

* cano-
nis

Beneficia,
vacantia
per pri-
vationem,
conferent
Ordinarii
collatores.